



Samelbd.

0/0

die,


72
DE
G L O R I A
E SCHOLIS NON EXTERMINANDA
SED MODERANDA
CONTRA REVERENDVM CAMPIVM
DISPV TANS
A D O R A T I O N E M
QVA
LYCEO TORGAVIENSI
DIE EIVS NATALI DICET VALE
AVDIENDAM
PERHVMANITER INVITAT
M. CAROLVS HENRICVS SINTENIS
ILLVSTRIS GYMNASII ZITTAVIENSIVM DIRECTOR
VOCATVS IENENSIS SOCIETATIS LATINAE
SODALIS.

L I P S I A E
EX OFFICINA IACOBÆERORVM c1833

DE
G L O R I A
E SCHOEUS NON EXTERMINANDA
SED MANDATA
CONTRA VERBOSUM GAMBIVM
DIE TERTIA
A D O R A T I O N E M
CIV
LYCO TORBANI
DIE EIVS NATALI DICIT VALL
APRILIAN
PERMANENTER UNITAT
M. CAROLVS HENRICVS SINTENS
DIRECTOR GYMNASII ATTAVINENSIS DIRECTOR
SOCIETATIS SOCIETATIS TERTIAE
SODALIS

EX OFFICINA JACOBERGII
L I S I A E





Qui iam pristinis temporibus fingendae formandaeque iuuentuti in palaestra operam dederunt, quique, accuratiori animi humani cognitione instructi, omnia in administrando munere iuuenilis ingenii viribus accommodanda iudicauerunt, vna semper et consentiens vox fuit, vnicuique magistro, qui fidei suae commissorum saluti vere consulere velit, de eo sollicite esse elaborandum, vt *voluptatem*, non *taedium*, afferat institutio scholastica, neque hoc nostrae demum aetati fuit reservatum, vt nimis seuerae arduaueque disciplinae subtilitatem difficultatemque propulset. Non facile quisquam fuit antecessorum nostrorum, *si modo aliquam mentis iuuenilis virium scientiam teneret*, quin intelligeret, eum ingenia potius negligere, quam colere, qui omnia in instituendo ad seueritatis moralitatisque normam exigat, ipsasque literas, nisi illarum praeceptis ad discendis suauitas *quaedam* atque dulcedo adspargatur, facile pueris atque iuuenibus tantam molestiam creare, illas vt per totam vitam odio persequantur. Egregiam sane maiorum nostrorum intelligentiam! dignissimam, quae laudibus efferatur, disciplinam! Plurimi enim puero- rum, atque permulti iuuenum, ob institum atque innatum animi vigorem, iudicandique facultatis imbecillitatem, omnem fere eiusmodi laborem sedulo fugiunt, qui constantiam assiduitatemque postulat, vt magna iam inde oriatur cautio, ne, nimis diu continuata mentis intentione, ipsorum alacritati aduerfetur docendi ratio. Ieiunitatis non admodum studiosi, vix satis contineri possunt rebus menti acueandae inferuentibus, ipsorumque nisi opem tuleris infirmitati, nisi grauissima cognitionis acquirendae impedimenta remoueris, non adeo multum erit, quod vel exquisitissima in erudiendo consequatur industria. Nonnunquam aliquid saltem dandum est ipsorum iuueniliter iocandi propensioni, quo hilariiores aures animumque intendant, omnia, quae ex vita communi commode transferri possunt, in subsidium sunt vocanda, et quidquid sensibus est expositum, id conuenientissimum ipsorum percipiendi facultati. Deinde ipsae literae, quae ad humanitatem pertinent, multum quidem habent suauitatis, quod tam ex rerum,

quas tractant, iucunditate, quam elegantissima venustissimaque viro-
 rum, qui in configuandis rebus illis occupati fuerunt, scribendi ratio-
 ne, emanat, sed reconditae etiam sunt indolis, multisque difficultati-
 bus inuolutae, quae, nisi minuuntur ab ipso magistro, multum conferre
 possunt ad fastidium satietatemque, in iuuenum animis excitandam.
 Quid? quod, permulti, qui inde a iuuentute bonis artibus dediti fue-
 runt, qui vero non adeo multum profecerunt, per totam vitam lite-
 ras auerfantur, et interrogati, cur illas odio dignas iudicent, omnem
 culpam in magistrum, eiusque sterilem disciplinam, coniciunt. Quan-
 quam enim haud pauci institutionis scholasticae inopiam adultiori
 aetate compensant, plurimi tamen eundem in literas retinent animum,
 quo in iuuentute in illas fuerant. Omnis igitur boni magistri cura
 atque sollicita posita est in eo, ut voluptatis suauitatisque condimentis
 pueros iuuenesque alliciat, utque, sublatis remoris, et euulsis spiniis
 atque dumeris, viam doctrinae consequendae iucundiozem amoenio-
 remque reddat, maioresque nostri, quia idem censuerunt, iustissima
 laude praedicandi videntur. Attamen nunquam eo facilitatis indul-
 gentiaeque progressi sunt, ut negarent, *cauendum esse, ne haec instituti-
 onis scholasticae voluptas ipsis literis damnum inferat*, et quotusquis-
 que est, qui, exquisitioris eruditionis studiosus, disciplinae suauitatem
semper et ubique locorum sectandam suadeat? Facile enim fieri potest,
 ut voluptatis inuitamenta, si *omnis seueritas in docendo vitetur*, gra-
 uioraque suauioribus *semper* postponantur, veris vitae scholasticae
 commodis plus obsint, quam prosint, et, quo quis amantior est pue-
 rorum iuuenumque utilitatis, eo facilior est in concedendo, *multum
 abesse, ut omnia impedimenta a magistro sint remouenda, ut nonnulla
 potius sint eiusmodi, quae discipulis quam studiosissimis sint relinquenda.*
 Animus enim mature ad patientiam atque constantiam in perferendis
 laboribus est adducendus, illius apud *Horatium* memor, *multa tulit
 fecitque, sudauit et alit*, altiores disciplinae, quibus in academia
 tempus studiumque impenditur, desiderant ingenium, in schola sub-
 actum, subtiliorique rerum contemplationi aduersactum, et ipsi de-
 mum vitae societatiue humanae parum consulitur, si ioci atque lusus
 in scholis praefereuntur rebus seriis. Quilibet palaestrae sedulo et reli-
 giose operam dans, ingeniorum ipsi traditorum diuersitatem, ad quam
 omnia accuratissime exigit, cognitam atque perspectam habet, hinc eas
 falebras, quibus tollendis iuuenes sui non sint idonei, facili negotio ab eis
 fecer-

fecernere potest, quae vires ipsorum nequaquam superent, illasque
 suffert, has sufferendas relinquit, et quia ipsi persuasum est, hoc sibi
 iniunctum esse, ut homines instituat, qui quidem in praesentia sint
 pueri atque iuvenes, qui vero aliquando viri euadere debeant, qui
 reipublicae profint, hinc, crepundiis abiectis, severiori nonnunquam
 disciplinae studet, ipsosque iuvenes vsu edocet, se liberalioribus arti-
 culis, quae sordidas non minus difficultate, quam praeslantia, antecel-
 lant, nomina professos esse. Quibus praemunitis, facile omnium eius-
 modi virorum, qui iniquissimi *omnis severitatis scholasticae* Censores
 sunt, merita de scholis publicis aestimari iudicarique possunt, inter
 quos *CAMPIVS Reuerendus* praecipue nominari meretur. Is per ali-
 quot iam annos omne studium omnemque operam in eo collocavit,
 quo omnes omnino molestias, easque vel minimas, instituyendo pueri
 atque iuueni perferendas, tolleret, nihilque fere praetermisit, quo vi-
 tae scholasticae faciem hilarioriem suavioriemque redderet. Eo duce
 nunc ridet omnia, neque facile quidquam superest, quod puerulus
 ludendo percipere nequeat, *inde a plogulis siue chartulis incipiens,*
quarum vsu figurae literarum memoriae imprimuntur, atque arcubus
illis, quae singulis literis, in syllabas totaque voces cogendis, inseriunt.
 Luctuosissima sane inuenta, quae aetatis praesentis mollietiem mirum
 quantum adiuvant, quaeque grauioribus disciplinis, totique adeo
 eruditioni accuratori sensum sensumque ruinam minantur, ab LAM-
 BERTO in epistolis ad amicos grauius deplorata, false vero derisa ab
 auctore libelli, qui *der Empfindsame* inferibitur! Sed quid est, quod
 in maiorem admirationem abripi e nos possit, nisi hoc, quod ab eo-
 dem scholarum instauratore, qui *omnia ad pueritiae iuuentutisque ca-*
pitum sensumque voluptatis accommodare vult, nobis aliquid suaderet,
 quod non solum a puerorum iuuenumque ingenio longe videtur remo-
 tissimum, sed etiam honestissimi cuiusque hominis impulsui naturali
 repugnat? persuasissimum sibi putat, animos pueriles atque iuuenum
gloriae stimulis non esse excitandos, et quod ipsum inter et RESEVITIVM
 atque FEDERVm de hoc argumento disputatum est, id unicuique non
 solum cognitum est, sed etiam grauissimum videtur, qui in munere
 scholastico vitam degit, aut saltem aliquam pretii rebus, ad scholam
 pertinentibus, statuendi cognitionem habet. Fieri igitur non potuit,
 ut *otiosus huius controversiae spectator essem,* mihi que saluberrimum
 aemulationis inflammandae subsidium eripi pateret, ipso vsu edoctus,
gloriam

gloriam e scholis non esse exterminandam, sed moderandam. Accipias igitur, *Lector Humanissime*, hanc commentationem scholasticam eo in me animo, quo verum iudicari debet, ego omni, qua par est, modestia, partes aduersarii ita tuebor, vt *soli utilitati*, ex eiusmodi contentione redundanti, omnia viadicem.

Gloria iuuenis cernitur in aliorum sententia, quas discipulo praeter ceteros commilitones tribuit praeslantiam quandam, et notae, quas complectitur haec descriptio, per se iam tantae sunt perspicuitatis, vt nihil requiratur, quod lucem illis maiorem afferat. Ea est omnium fere hominum animi indoles, vt saepius comparationem instituant aequales inter et se ipsos, cuius euentus plerumque hic est, vt, amore sui impulsus quilibet ceteros hac vel illa re superare, aut saltem omnino exaequare se posse reliquis sibi videatur idemque vt alii sentiant, cupiat. Prius si est, principatum quandam affectat, qui, nisi honestum atque decorum violat, conceditur, sin posterius, tunc de eo sibi gratulatur, quod palma ipsi non praeripitur. Eundem morem eandemque consuetudinem vel *pueros* iam observare, non facile quisquam negat, qui illorum familiaritate fruitor. Facias periculum, et dicas puero: *heus, tu nondum tam multa hac in re comprehendisti, quam ille*, statim, si erectioris est ingenii, hanc responsonem promptam paratamque habebit: *ego vero aliis in rebus illum antecello*, aut aliqua ratione negabit, se, quia aequales non sint, cum illo posse conferri. Quid igitur de *iuuenibus* tibi statuendum videtur, qui, aetate proveciores, in ferendis iudiciis magis exercitati sunt, maiorique, *nisi ad sordes sunt abiecti*, honoris cupiditate trahuntur? hi multo celerius, facta comparatione, animaduertunt praeslantiam, quae ipsis prae reliquis commilitonibus conuenit, quaeque ipsos conspicuos reddit. Mutua consuetudine, qua singulis diebus iisdem scholis interfunt, virium suarum vnusquisque mensuram, reliquorum disciplinae alumnorum ratione habita, probe cognouisse sibi videtur, quid? quod, vel eo progrediuntur, iuvenes, vt, nisi in literis earumque cultura ceteris praeponi se posse sentiant, ad longe alias res, *literis multo inferiores*, descendant, ob quas maiorem amplioremque dignitatem appetere se posse existiment, ita, vt non quidquam reperiatur, quod omnes, qui muneri scholastico debita solertia, et necessaria ingenii iuuenilis perquirendi sagacitate instructi praesunt, facilius largiantur, nisi hoc, quemcunque iuuenem, qui
non

non omnis sensus honoris atque bonae famae expers sit, aliquid habere, de quo gloriatur, cuiusque laude praestare se putet reliquis. Hinc necessario sequitur, ut *gloria scholastica* non minus varia atque diuersa sit, quam reliquorum omnium omnino hominum. Alia est *vera*, alia *opinata*, pro varia bonorum, quae huius diuisionis fundamenta constituant, ratione. Nonnulli iuuenes, qui in tribuendis ingenii dotibus naturam fauricem benignam experti sunt, quique et suo impulsu, et magistrorum fidelissimorum persuasione incitati, omne tempus, omne studium, omnemque operam in eo collocarunt, quo naturalem mentis caliginem literarum splendore atque luce dissiparent, animumque virtutis amore vitiique odio incenderent, reliquos commilitones, qui aut hebetioris tardiorisque ingenii sunt, aut naturae liberalitate, qua excellere potuissent, *turpissimo otio dediti*, parum religiose vsi sunt, longe multumque superant, ut, quo remotiores reperiantur hi ab omni aestimatione, eo praestantiores illi et mentis cognitione et animi integritate iudicentur. Quid igitur naturae humanae conuenientius est, quid certius eueniet, et euenire debet, nisi hoc, ut illi amantiore iuuenes, sui aliorumque discipulorum conscii, his segnioribus praestantiam non solum dubiam reddant, sed etiam praecripant, sibi vindicent? num ipsis incognitum est, quos celeres progressus in literarum curriculo fecerint? quam studiosi fuerint honestatis? non quotidie testes sunt commilitonum pigrityae atque improbitatis? num fieri potest, ut, qui alterum tam mentis, quam animi indole, magno post se relinquit intervallo, sinistrum de se ferat iudicium, illicque deteriori principatum concedat, eandemque existimationem ab aliis exspectet? Quid vero de iis censes, qui et literarum et virtutis studio vinci se ab aliis patiuntur? num illi, omni *interna* praestantia priuati, sponte sua illis dignioribus cedunt? num nihil omnino habent, quod de se praedicandum censeant? permulta sane sunt, quae ipsis tanti pretii videantur, ut illorum causa ad gloriam aliquam adspirare possint, quae vero prudentiorum iudicio per se tam parum ad veram laudem conferunt, illorum ut absentiam nunquam existiment deplorandam. Alii ob parentum cognatorumque auctoritatem, alii ob diuitiarum multitudinem, alii denique ob elegantiore corporis formam, et quae sunt reliqua, iactare se posse credunt, ceterosque commilitones, opinatis eiusmodi bonis defraudatos, multo infeliciores esse, ipsis persuasissimum est. Dolendi quidem sunt, propterea quod, inani opinione capti, ea negligunt, quibus

bus *vera gloria* nititur, et in bonis caducis atque fragilibus fiduciam ponunt, quilibet vero scholae magister, qui in inuestiganda interiori iuuenum propensione atque procliuitate solers et indefessus est, facile mihi dabit, plurimos sane iuuenum reperiri, qui in rebus tam paruis, earumque possessione, omnem felicitatem humanam versari putent. Neque id mirum, quia vel adultiorum hominum haud pauci inueniuntur, quorum in animo eadem praeiudicata sententia infideat, et quia iuuenes tantae sunt in iudicando imbecillitatis, ut omnia, quae in sensus externos cadant, in animis ipsorum permagnam vim habeant. Haec igitur est, de qua in praesentia quaeritur, *gloria scholastica*, cuiusque omnes omnino iuuenes, nisi qui humilitatis animique obtusi admauerfione digni sint, cupiditate flagrant, ut felicissimum iuuentutis doctorem illum iudicem, qui tanti est in perscrutando acuminis, tantaeque in exsequendo prudentiae, ut, *quantum ab homine fieri possit*, in interiores animi iuuenilis recessus atque latebras penetret, quo intelligat, *cuius gloria* stimulis incitatur, ut omnem disciplinam ad vniuscuiusque discipuli studium propensionemque accommodet. Is sane fidei atque institutionis fructus sperare poterit iucundissimos, *is verae gloriae* igniculos non exstinguet in literarum virtutisque detrimentum, *is opinatae* procliuitatem sic gubernabit atque diriget, ut ex eo, quod *veneno malo* nonnunquam haud dissimile esse potest, *medicinam saluberrimam* conficiat.

Quid vero? *omnis potius gloria* e scholis est propulsanda, neque inquam committendum, ut illius studium iuuenum in animis altas radices agat! haec quidem CAMPRI *Reuerendi* est opinio, ego vero, quidquid dicat, non facile permouebo, ut hac in quaestione pronior sim, ad assensum illi praebendum, quam *in multis aliis*, quibus nominis immortalitatem sibi conciliauit. Neque vero eo tristitiae asperitatisque progredior, ut negem, argumentis, quae protulit, aliquam inesse veri speciem, et, quia opus est, ut vetus aedificium prius diruam atque demoliar, quam nouum *eodem loco* exstruere possim, hinc tunc demum sententiam contrariam rationibus suffulciam, cum ea, quae aduersarius statuit, paucis infregero. Omnia, quae non solum contra *scholasticam*, sed etiam *quamcunque gloriam* criminose dici posse, ipsi videntur, posita sunt in eo, quod *fontem multorum malorum aperiat*, quod *facile in animi perturbationem, eamque effrenatam, permutari possit*, quod *non solum alios homines, sed etiam illum ipsum, qui eius cupi-*

cupiditate incensus sit, in miseriam calamitatemque detrudat, quodque ad illam coercendam atque contiendam multo vehementiora ardentioraque studia necessario requirantur. Quis est, qui modo aliquam dialectices artisque disputandi familiaritatem sibi contraxerit, quin statim, et vno quasi adpectu animaduertat, haec omnia, quae tanti roboris tantaque grauitatis habeantur, facillimo negotio ad *fallaciam*, quae dicitur, *accidentis* esse renocanda? quidquid prauo *gloriae* vsui, hominumque illi *nimis* studentiam, aut leuitati, aut peruersitati tribuendum est, quis aequus rerum aestimator id ipsi gloriae in culpam vertere potest? quis tam parum in historiae monumentis ve satis est, vt egregie nesciat, permultas etiam res praeclarissime gestas nunquam fuisse susceptas, nisi illarum auctores *gloriae auuiditate* ad illas peragendas essent impulsu atque incitati? num omnes, qui in summo honorum fastigio collocati sunt, ad illud igno- rantia magis atque nequitia, quam intelligentia atque probitate, escende- runt, nec quidquam illis profuit *gloriae desiderium*, quo inde a iuuentute tenebantur? Quodsi *CAMPVS* contendit, *ad gloriam cohibendam multo vehementiora studia postulari*, manifesto committit nouam *fallaciam*, *vehementiora studia postulari*, manifesto committit nouam *fallaciam*, quae vocatur a dialecticis *ignoratio elenchi*. Nobis sermo est *de iusta et licita gloriae cupiditate*, quae ne effrenate erumpat, praestat magistri disciplina atque prudentia, *CAMPVS* vero loquitur de eiusmodi *gloriae appetitione*, quae tam immoderata iam facta est, vt vix quidem illam retinere atque compescere possis. Quis vero — at non tanti sunt *istiusmodi Sophistarum subtilitates*, quibus in refellendis pluribus verbis commoremur. Postremo res redit ad pugnam de verbis, sicut in controouersia *Stoicos* inter atque *Aristotelicos*, vtrum affectiones animi homine dignae sint, nec ne? illi *impotentes* commotiones ac *repugnantes naturae* vituperarunt, hi commendarunt *modestas ac temperantes*. Ad illa potius argumenta progredior, quae ad confirmandam sententiam contrariam plurimum conducere mihi videntur. Ego nimirum certissimum, et extra omnem dubitationem positum putarim, *gloriam e scholis nequaquam esse exterminandam, et tria potissimum sunt momenta, quorum grauitate impulsus hoc statuendum censeo.* Primum hoc est: *mentis cognitio atque animi integritas vera bona sunt, digna, quae plurimi aestimentur.* Omnes, ait *CICERO* lib. I. *Offic. 6. omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere, pulchrum putamus, laedi autem, errare, nescire, decipi, et malum, et turpe ducimur.* Quamquam nos omnes habeamus ab ipsa natura insitam atque innatam cognitionis atque intelligentiae appetentiam, quantopere vero ignorantiam atque stuporem

rem auersemur, id, opinor, omnium facillime liberorum exemplis cognoscei potest, qui tanta sciendi cupiditate feruntur, ut, illis si historiam, ipsis ignotam, enarrare inceperis, innumeris fere quaestioneulis incidant atque interrumpant narrationem, vixque tanta patientia sint praediti, ut finem historiae expectare possint. Neque res aliter habere se potest. Ratio enim, quam prouida Summi Numinis cura, ad constituendam nostram inter reliqua animalia, quae oculis cerni possunt, excellentiam, nobis largita est, probe intelligit, quo plura mente comprehenderimus, eo maiorem esse humanitatis nostrae praestantiam, maioremque, ad quam peruenire possimus ac debeamus, cum Deo similitudinem. Quoniam vero vel exquisitissima cognitio, si coniuncta est cum improbitatis studio, non absoluit integram hominis felicitatem, simul honestatis sanctitatisque exercitatio ad constituendum salutis humanae ambitum requiritur, illiusque splendor omnibus in vniuersum hominibus quam suavis quamque iucundus sit, optime docet *SENECA lib. IV. de Benefic. cap. 17. dicens: adeo gratiosa virtus est, ut in situm sit etiam malis, probare meliora; quis est, qui non beneficiis videri velit? qui non inter scelera et iniurias opinionem bonitatis affeclat? qui non ipsis, quae impotentissime fecit, speciem aliquam induat recti? velit quoque et iis videri beneficium dedisse, quos laesit — neminem reperies, qui non nequitiae praemiis, sine nequitia, frui malit. Maximum hoc habemus naturae meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum permittit, etiam qui non sequuntur illam, vident. Quae cum ita comparata sint, ut mentis, intelligentiae radiis collustratae, animique virtutem colentis, pretium ac dignitatem nemo non concedat, vtque vel pueri naturalem hominibus augendae cognitionis voluptatem tescunt, et vel sceleratissimi vitae integritatis speciem prae se ferant, iniquissimum sane esset, humanitati que repugnaret, nisi iuuenibus liceret, de iisdem bonis, usque veris, sibi gratulari! Quocum ipsa vita humana esset comparanda, si fons verae laetitiae, qui ex possessione verorum aeternorumque bonorum emanat, intercluderetur? in quo cerneretur honesta iuuenum voluptas atque suauitas, nisi hoc illis esset permillum, ut ob accuratiorem rerum vtilissimarum scientiam voluntatisque emendationem, quam assidua mentis intentione, magna que procliuatatis naturalis luctatione, affecti sunt, praestantiam aliquam prae ceteris commilitonibus sibi vindicarent? Iam *trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur — infidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes atque dies animum gloriae stimulis concitat — negligere, quid de se quisque sentiat, non solum est arrogantis, sed etiam omnino dissoluti.* Hae,*

et

et innumerae aliae eiusmodi sententiae, quas subinde legimus, nonne luculentissime testantur, unicuique hominum impetum quandam naturalem esse insitum atque innatum, quo feratur ad conciliandam sibi *gloriam*, et, quo maior atque fortior ille inueniatur, eo meliorem esse animi humani indolem? Integra sane hominis natura esset permutanda, quae tamen permutari nequit, ipsumque illud, quod ad humanitatem pertinet, esset tollendum, *gloriae* appetitionem si in homine euellendam extirpandamque censes. Non facile ullus reperietur, quin, nisi *arrogantis*, aut *otio dissoluti*, ut CICERO pronunciabat, animi putari velit, si laudem sibi peperit, laetetur, recteque facti conscientia recreetur, sin reprehensione dignus visus erit, erubescat, vituperationisque memoria exerceatur. CHRYSIPPOS enim atque DIOGENES, qui *destrakta utilitate, ne digitum quidem gloriae causa porrigendum esse dicebant*, va'de derideo, tam propter inhumanitatem, quam *ἀπάθειαν*, naturae repugnantem, ac sordidam impudentiam, omnem vitae, commoditatem repudiantem, et quamuis CICERO noster hac in re *Epicureis* et *Cynicis* vehementer assentiri se fateatur, *lib. III. de Fin. bon. et mal. cap. 17.* sibi ipse tamen non constat, gratulans sibi de eo, quod POMPEIUS, vir abundans bellicis laudibus, multis audientibus, hoc ipsi tribuerit, ut diceret, *frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi ipse in rempublicam beneficio, ubi triumpharet, esse habiturus*, omnesque eius orationes multo minori assiduitate ut legerim, opus esset, nisi concedere vellem, multos in illis deprehendi locos, quibus euidenter appareat, non pauca subsidia esse adhibenda, ad minuendam nimiae copiae, *qua in laudibus suis commemorandis* vitur, fatietatem. Quid inde? omnes in vniuersum homines si *gloriae studio* excitantur, illud ab ipsi humana natura ut separari nequeat, dicas mihi, cur difficiliorem praebere te velis iuuenibus? num impedit potes, quo minus praeslantiam quandam prae reliquis commilitonibus sibi attribuant, simul ac cognouerint, se illis antea intelligentia atque virtute? ipsis quoque innatum est *gloriae* acquirendae desiderium, ipsorumque humanitati vim affers, nisi permiseris, ut gaudium percipiant ex eo, quod eiusmodi appetitum naturalem expleat, illique respondeat! Quid de *aemulationis studio* dicam, quae, VELLEIO auctore, *virtutem alit*, quaeque mirum quantum sustentatur *gloriae cupiditate*? quilibet iuuenis haud illiberalis, qui principatu inter aequales studet, si animaduertit, haec vel illa sibi adhuc deesse, quae in aliis reperiantur, vix dici potest, quanto feruore, quantaque sollicitudine illis consequendis det operam. Quot probro sibi putat, amicis praestare aliis in rebus, in hac vero, qua superetur,

illis postponi, hinc omnes animi corporisque vires intendit, quo celerius illis haud impar putetur. CICERONE in *Consolatione*, iudice, *magnum est contendenti, et ad gloriam anhelantis animi fomentum, magnum solatium, spes futurae ac propinquae suae utilitatis, suae gloriae, quorumque oculos virtutis splendor occupavit, gloriaeque studium animos deliniuit, si nec laborem sentiunt, et, si tantus est, ut aliquando erumpat, eo tamen non magnopere mouentur.* Quodsi quis dixerit, accumulationem liuoris atque inuidientiae esse fontem, ideoque mature censerī opprimendam, suaserim illi, ut perpendat, omnia bona atque mala, quorum origo ex illa deriuanda videatur, in magistri posita esse potestate, neque vllam esse hominis propensionem, quae tantae sit integritatis, tamque consummatae et absolutae indolis, ut neque quidquam illi desit, neque, intermissa moderatione, non minus periculosa iudicari possit, quam omnis ad vitium procliuitas. Quibus omnibus simul sumtis, planum me fecisse arbitror, *gloriam nequaquam e scholis esse exterminandam*, et ex ipsis oraculis diuinis aliquid asserre posse, quod ad stabilendam sententiam meam permul-tum adhuc conferet. PAVLLVS, dignissimus certe vltimorum religionis christianae praeconum, quem omnes in disciplina scholastica sequamur, *Corinthios* subinde his verbis admonet: *ὅτι καλὸν τὸ καύχημα ὑμῶν, αὐτὸ πρὸς ἐντροπὴν ὑμῶν λέγω.* Nonne igitur illis, praeter alia sanctitatis incitamenta, *gloriae* quoque stimulos addere vult? cur reprehendit illos ob neglectum *bonae famae*, cur pudore illos suffundit, si praestantiae obtinendae nulla habenda est ratio? Nihil autem luculentius, cohortatione ad *Philippenses* IV, 8. qua summam praeceptorum concludit, *ὅσα εὐφραίνονται, τὰς ἐπιθυμίαις ταῦτα λογίζεσθε.* Quid? quod, ad ipsum diuinitatis exemplum efscendamus. Deus ipse in hac vniuersitate condenda gloriam spectauit, satis ostendens, veram virtutum praedicationem non esse spernendam, sed ab optimo quoque expectandam. Is igitur optimus sit mihi iuuenis, qui tam ingenui tamque liberalis est animi, ut *verae magnitudinis* suae inter reliquos sodales nunquam immemor fiat, ego non possum non illum diligere, neque ad id permoueri me vnquam patiar, ut *verae gloriae* studium pestem iuuentutis nominem. At vero *opinatae* fortasse tanta sunt detrimenta, ut penitus deleri exstinguique mereatur? iudicium illud, quo hebetiores segniorisque ingenii iuuenes, qui et literarum et virtutis ardore parum incensi sunt, nihilo minus excellentiam quandam inter reliquos discipulos sibi vindicant, quodque aut parentum cognatorumque auctoritate, aut diuitiarum multitudine, aut denique elegantiori corporis forma nititur, fortasse eiusmodi est, ut funditus sit exstirpandum? Equidem hocce

nes vehementer lugeo, quod tam parum vident, in quò vera cernatur hominis dignitas, sed nihilo secius multa sunt, quae accuratiori cognitione prius iudicanda censeam, quam ipsam *gloriam opinatam* et scholis eiiciam atque propulsem. Quamquam omnes sapientiores, qui in pretio, bonis humanis statuendo, felicissimi aestimantur, in eo amicissime conspirant atque consentiunt, ut negent, eiusmodi res, quarum ex possessione dolendi hi iuvenes non parum praestantiae in se ipsos redundare somnient, per se tanti esse, ut illarum in numerum referri mereantur, quibus interna, eaque vera salus suffulta nitatur, tamen non facile vllus tantae iniquitatis, imò tam ingrati in Deum animi est, ut contendere velit, illis ne minimum quidem inesse pretium. Sunt enim providentiae diuinae munera, eo nomine hominibus concessa, ut sapiens illorum vsus adiumenta praebet confirmandae prosperitatis, et ipsa vita satis luculenter nos edocet, omnes eiusmodi res, quamuis interno pretio sint destitutae, grauissima tamen ad veram felicitatem consequendam esse posse incitamenta. *SENECA* quidem *epistola 44. non facit nobilem*, inquit, *atrium plenum fumosis imaginibus, nemo in nostram gloriam vixit, nec, quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere*, sed *epistola quarta et sexagesima* sibi ipse repugnat, dicens: *quid ni ego magnorum virorum imagines habeam, incitamenta animi et natales celebrem? quid ni illos honoris causa semper appellem?* et quamuis ideam *Stoicorum* asperitati nimium quantum studens alio loco *VIRGILIUM* errasse puter, qui dixerit: *gratior est pulchro veniens e corpore virtus*, nemo tamen, nisi cui naturae difficultas hanc corporis commendationem recusauit, et ipsi *VIRGILIO*, et *ISOCRATI* in *Helena*, assensum denegabit, aut *PLATONI*, et *THEOPHRASTO* succensebit, quorum ille formam corporis elegantiore *naturae privilegium*, hic *tacitam fraudem*, vocauit. His igitur, et eiusmodi pretii aliis fortunae donis, cum non omnia detrahi possint, quae vel in adultioris aetatis hominum animis splendorem ipsis quendam concilient, num existimem, illum in iuuenum oculis esse obsecrandum? num prouidam Summi Numinis, in distribuendis huius vitae muneribus, curam gratissimo animo ut iuvenes agnoscant, dissuadeam? nam illos auocem atque retineam violenter ab opinione illa, qua, ob Deum scientiam atque liberalitatem, in se ipsis conspicuam, maiorem dignitatem sibi attribuunt? multum absit, ut hoc faciam, ut vel *opinatam gloriam* in iuuenibus meis conferuem. Gratulor mihi, et exulto de eiusmodi iuvene, in quo fingendo atque formando Deus mihi succurrit inuatis quibusdam moderatae ambitionis igniculis, quibus semper *quantum*

in viribus meis positum erit, ita utar, ut, illis gliscentibus, ardor literarum atque virtutis in flammam erumpat!

Nequaquam vero tam pronus tamque propensus sum ad indulgentiam, ut gloriae scholasticae omnes frenos laxandos iudicem, religioni potius mihi ducere, eiusmodi quid iuuenibus permittere, quod patriae et parentum spem conceptam minuere, nedum fallere posset. *Moderanda igitur est gloria in scholis, quamquam non exterminanda*, ne, id quod CAMERIVS verebatur, in cupiditatem, eamque effrenatam, permutetur. *Eradenda cupidinis pravi sunt elementa, et tenerae nimis mentes asperioribus formandae studiis*, sic luget HORATIVVS lib. III. od. 24. aetatem suam, eiusque in educandis liberis disciplinam, et quoties eiusdem carminis argumentum perpendo, toties vulnera recrudescunt, quae nostrorum temporum, et maxime scholarum nostrarum, emendatores animo meo infixerunt. Quoniam vero praesentis instituti ratio vberiore huius pronunciati ad nostri saeculi humanitatem non patitur accommodationem, in eo tantum subsistam, quod ad hanc commentationem commode ex eo transferri potest. Loquitur HORATIVVS de sordida aetatis suae avaritia, quae tanta sit, ut vix expleri possit, simulque suadet, ut aequales sui, si vitae transactae poenitentia vere emendari velint, radices huius vitii, omnem modum excedentis, *funditus euellant*. Quamvis vero in plerisque vel studiosissimi sim huius poetae venustissimi, tamen valde dobito, hunc *eradendi* conatum, quem vocet, *fieri posse*, aut saltem *facilem esse*. Felicitior fortasse eris, si moderatione impediueris, quo minus ex studio quodam naturali cupido pravi oriatur, idemque dixerim de gloriae, quod in praesentia spectamus, studio. Quotusquisque fidelis instituendae iuventutis magister est, quin omnem solertiam vigilantiamque adhibeat, ne nimia gloriae cupiditas fidei suae commissos capiat, et quin, si animadverterit, hunc itemque alium discipulorum hac periculosissima contagione infectum esse, quidquid in vires humanas cadere possit, id omne ad illum curandum conferat? Simul atque cognoverit, iuuenem quandam cum aliorum iniuria plus sibi atque intelligentiae suae tribuere, quam iure meritoque ipsi conveniat, eumque sententia illa, qua sibi praeslantiam praeceteris commilitonibus adscribat, impediri, quo minus vteriores progressus in literarum curriculo faciat, statim intelligit, eundem iuuenem maiori, quam aequa atque salubris sit, gloria inflatum esse, et duabus praecipue rationibus impellitur, *illam ut moderetur*, iuuenique medicinam salutarem asserat. Prior ratio haec est: *ne gloria in superbiam, fastidium, atque arrogantiam mutetur*. Haec, tam ratione verae, quam

opinatae

opinatae gloriae, maioribus cognitionis incrementis obest, animi integritatem propulsat, odium parit, atque ridicula est. Fieri enim non potest, ut spem sustentet eiusmodi iuuenis, qui aut nimis facilis est in iudicanda tam mentis, quam animi sui bonitate, aut in aestimandis bonis externis ita versatur, ut omnino immemor sit intelligentiae voluntatisque culturae. *Illi* persuasissimum est, se omnia iam percepisse, quae a iuvene, scholam frequentante, expectari possint, nec quidquam sibi restare, quo scholastica scientia augeri queat, *hic*, sensibus occaecatus, omne pretium humanitatis suae sibi fingit in splendore, quo hominum oculos gratiamque captet. Magister igitur vel fidelissimum studium operamque perdit in infituito utroque iuvene, *alteri* videtur haud dissimilis artis salutaris periti, qui bona corporis validudine fruente medicinam offert, *alteri* nimis difficilis, asper, atque morosus. Iam amicitiae vinculo, cum aliis confringendo, apta atque idonea sit insolentia? quodsi ad conciliandos hominum animos hoc CICERONIS praeceptum saluberrimum sapientissimumque est: *quanto superiores finis, tanto nos geramus submissius*, ille sane iuuenis, qui tam ob ingenii animique indolem, quam fortunae benignitatem, elatus se gerit in reliquos, illosque contemnit, parum habebit, quo amicitiam cum aliis contrahere possit. Odio illum persequuntur omnes, quilibet illius societatem consuetudinemque fugit, et, ut alios irrisione atque fastidio a se abalienavit, ita alii ipsum cum detestatione atque fere insania a familiaritate sua quam studiosissime remouent. Nisi vero odium parit superbia, saltem denique ridicula est. Quis prudentior enim risum tenere potest, si hominis nimium arrogantis vitia, aut stultitiam intellexerit? aequissimum sane hoc praemium est, quo is affici potest, qui, *inani gloriae studio inensus*, reliquis omnibus se longe multumque praefereendum putauit, sed aut incaute atque temere ignorantiae atque infirmitatis documenta exhibuit, aut praestantiam suam ex multo villioribus rebus deriuauit, quam quae hominis dignitatem constituunt. Quis est, qui, liberaliori indoli aduersus, aequo animo ferat, se, quia aut inferior putetur ingenii excellentia, aut de naturae, in distribuendis fortunae externae bonis, parsimonia queratur, ab aliis despici? indignae contemtionis dolor illi non leuior est, quam poenae, quid igitur faciet? quo viliscetur iniustam ignominiam? inimicitia, animoque aduersante, aut saltem, iram si cohibere atque dissimulare potest, illusionem. Quodsi vnus cuiusque in palaestra magistri, qui studio quodam naturali ad munus ipsi demandatum, iuuenesque fidei suae traditos, fertur, maxima cura maximeque sollicitudo occupata est in eo, ut quotidie accuratissima eruditionis

cogni-

cognitionem, maioremque virtutis amorem menti animoque discipulorum infilllet, utque mores illorum ad humanitatem elegantiamque fingat atque componat, quo aptiores promptioresque reddantur ad necessaria patriae officia praestanda, societatisque humanae suavitatem percipiendam, quid maiorem illi afferre potest tristitiam, quo grauius affligitur, nisi eo, si animaduernerit, sibi conflictandum esse cum grauissimis, in exsequendo hoc optimo consilio, impedimentis? En igitur priorem, quae *gloriam in scholis ut comprimas*, suadet, rationem, *posterior*, ad quam progredior, quamque non minoris grauitatis puto, haec est: *ne turbet ordinem scholasticum*. Ipso vsu edoctus scio, permultum ad subleuandas disciplinae publicis in scholis molestias conferre hoc mandatum, quo superioribus iuuenibus conceditur cura quaedam inferiorum, pro qua, absente magistro, non solum hos silentium tranquillitatemque admoneant, sed etiam, quidquid omnino in horum moribus reprehendendum existiment, corrigant, inferioribus vero discipulis honor quidam iniungitur in superiores, cuius impulsu his obedientiam praesent, horumque in conspectu modestiae atque verecundiae consulant. Vix dici potest, quanta sint commoda, haec ex lege deducenda. Discipulus, eminentiorem in schola locum occupans, sentit, se praeferrī iis, quibus est praepositus, id quod alit honestam eius gloriae cupiditatem, et, quia clam atque in occulto ex praepceptore audiuit, opus esse, ut iis, quibus praeesse velit, maioris intelligentiae honestatisque documenta exhibeat, quo faciliores sint ad reuerentiam, quam postulet, hinc omnes vires intendit, ut industria atque integritate illos superet, quibus praeficitur, reliqui vero, qui adultioribus commilitonibus parent atque subiecti sunt, hac ratione multo celerius et cognitione, et moribus, amantiores redduntur, et mature ad consuetudinem humanitatis atque obsequii erga excellentiores, ipsisque praefectos, adducuntur, quae prius est addiscenda, quam futura muneris administratione. Huic vero *ordini*, quem dico, *scholastico* varia incommoda importat *gloriae tam verae, quam opinatae cupiditas*, nisi temperatur, limitibusque includitur. Nimum vtriusque desiderium non solum illos iuuenes, qui alijs imperant, ad rusticitatem, asperitatem, imo tyrannidem atque crudelitatem, sed etiam illos, qui obtemperare debent maiorum discipulorum iussibus, ad petulantiam, effusam procacitatem, effrenem proscindendi libidinem, atque pervicaciam, incitare potest, ut multae exinde nasci possint friuolae obiurgationes, contentiones, quid? quod, rixae atque verberationes, quae omnia sunt eiusmodi, ut magistro molestias atque aerumnas, ipsique scholae ignominiam calamitatemque comparent. Quid inde? haec, quae dixi,

si,

si, qua par est in re tam ambigua, mentis attentione perpenduntur, neminem tam indulgentis in iuuentutem animi, tanque perniciosae mollitiae futurum credo, vt neget, omni cogitatione omnique vigilantia ad id esse incumbendum, ne *gloriae studium*, quod alioquin acerrimos ad spem explendam stimulos iuueni admouere potest, in eius animo imperium affectet, tantamque vehementiam exerceat, vt illum penitus subigat, subactumque teneat. Quilibet illud *moderandum* censet, nihilque restat, nisi hoc, vt *disciplinam modumque iudicem*, quo in illo *moderando*, ne euentus optatus frustra speretur, vtendum esse existimem.

Omni experientia, siue vsu me priuatum esse, iure meritoque crederes, si *violentis remediis* tantam vim tribuerem, quanta ad sanandum cuiusmodi animum requiritur. Nec quidquam facile est, quod huic consilio exsequendo magis aduersetur, quam *poena atque castigatio*. Quamquam enim haud difficilis sum in concedendo, huic itemque alteri magistro in fingendis formandisque *pueris* fortasse saepius, quam in instituentis *iunioribus*, necesse esse, vt moderate atque prudenter puniendo animorum emendationi succurrat, ita, vt nequaquam omnes omnino poenas, *maxime initio primae disciplinae*, superuacuas, in seruilibus praesertim obstinatisque ingeniis, esse contendam, ad recentiorum tamen scholae Censuram, qui non adeo multum suppliciiis scholasticis tribuendum statuunt, partes vt *haec in causa* transeam, valde me propensum esse, non dissiteor. Probe quidem scio, vnam fere omnium hominum, qui de rebus ad scholam pertinentibus iudicare velint, vocem esse hanc, summam praeceptoris curam versari debere in eo, vt *timorem amoremque* in discipulorum, suae institutioni commissorum, animis sibi conciliet, neque ego is sum, qđ de hac sententia, neutrum ab altero esse separandum, dubitem, sed fortasse erroris non sum conuincendus, si nego, *timorem* illum, siue reuerentiam *per se noenis atque duritiae* esse excitandam. Duo fere de viginti anni sunt, ex quo muneri scholastico praesum, gratiasque ago Deo, quod vsu me edocuit, *eiusmodi adhortationibus atque precibus, quae ex animo integro et conspicuo iuuenum studio proficiantur*, tantum inesse roboris, tantumque efficaciae, vt non opus sit, vt de molestiis atque acriminis, quas iuuenum meorum institutio mihi conslet, querelas, nedum querimonias moueam. Poenarum hoc proprium est, vt animum, qui rationibus atque momentis est flectendus, non emolliant, sed obdurent, *metum* proferant, non *timorem*, exstinguant amorem, incendant odium, et obedientia, quam extorquent, non vera, sed simulata sit. Quae omnia cum vere ita sint, dicas mihi, quam vim in *moderanda gloria* poenis atque castigationibus vindices?

dices? scholae non sunt cum ergastulis comparandae, quorum supplicia atque cruciatus corpora doloribus afficiunt, contumelia igitur atque ignominia, eaque sola, cum poenis scholasticis est coniuncta, et eiusmodi auxiliis, etiamsi dolores accedant, ego *animum superbia atque arrogantia inflatum* emendandum curandumque censeam? peruersa sit mihi atque absurda animi humani cognoscendi scientia, quae ista suadeat! Neque *irrisioni* eadem ex ratione hic locum concedendum puto. Ea enim est animi humani indoles, ut non prius vitium, cui sensim adsuefactus est, deponat, quam mente illud cognouerit, siue rationes audierit, cur id, cuius studio deditus fuit, prauum atque inhonestum habeatur. Quae vero mentis persuasio inest *illusioni*? num plus ex illa colligi potest, quam hoc, rem, quae derideatur, illi risu dignam visam esse, qui illam perstringat? num hoc ex illa sequitur, ut vere sit explodenda? *irrisio* igitur, nisi conuictio, eaque accurata, *praeceperit*, nihil omnino confert, quo animum eius, quem carpit, adducere possit, ut mutari se patiat. Exulcerat potius illum non minus, quam poena, illumque et auctori, et virtuti oppositae, reddit alienum. Num igitur alia adhuc supersunt adiumenta, quibus feliciori cum successu *nimiae gloriae appetentiae* in iuene mereri possimus? quomodo illam *moderari* nos posse existimas, si haec, quibus permagna vis tribui solet, auxilia frustra tentantur? Duo praecipue sunt *remedia*, in quibus ego spem nunquam irritam posui, tam ratione *verae*, quam *opinatae gloriae*. Ad illam quod attinet, *praeceptor parcus sit in laudando, aliorumque hominum exemplis* (non ipsius discipuli, aut commilitonis exemplo) *doceat, quanta pericula oriantur ex superbia*. Vix credas, quantum in laude magistri sit positum, si ipse et doctrina et simplicitate conspicuum se reddiderit. Discipulum, animo fractum, et dissidentia sui afflictum, mirum quantum consolatur et erigit, liberalem et aequi honoris cupidum magis arrogantiam, insolenter vero se efferentem impellit, ut turgescat atque tumeat. Maximae igitur prudentiae, ut in reprehendendo et vituperando, ita etiam in laudando et efferendo, a doctore consulendum est, alioquin ipse disciplinae defuisse videbitur. Ne stabello ventilet discipuli arrogantiam, probet eius responsionem atque industriam, *sed eo vultu, quo testetur, se eandem postulasse*, simulque addat eiusmodi quaestionem, cui idem iuuenis non est soluendae. Sic praemium fert, ipsi innoxium, sic sentit virium ad grauiora inopiam. Quodsi denique magister in historia, aut in explicando loco, tam sacro, quam profano, occasionem habet differendi de dignissimo arrogantiae odio, eiusque variis incommodis, maxima copia, orationisque vbertate vtatur, ut iuuenis animaduertat, ipsum

ipsum magistrum non solum *commiseratione*, sed etiam *indignatione* huius vitii esse captum. Hac ratione coniciendo assequi potest, quid sit intermittendum, quidque fugiendum, eoque facilius id assequatur, quia non putat, praeceptoris sermonem proxime eo spectasse, ut accommodandus esset in se ipsum. De *opinata* vero gloria eandem quidem doctoris dissimulationem non disfluferim, sed maioris adhuc efficaciae est artificium illud, quo *opinatae gloriae igniculis* incenditur *verae* desiderium. Quoties praeceptor in interpretando in eiusmodi locum inciderit, qui de externorum bonorum fragilitate atque inconstantia agit, toties utilissima eius docendi ratio haec est, si, verbis non neglectis, potissimum in exponenda sententia est occupatus, maximamque adhibet orationis gravitatem, a peccatoris motu suggestam, qua aequae, ac vultus vocisque moestitia *commiserationem* illorum, qui fiduciam his in bonis positam habeant, in audientium animos transfundat. quaque, diuino quasi concitatus animi impulsu, *sapientiae virtutisque* praestantiam prae reliquis omnibus huius vitae fortunis ita amplifiet atque augeat, ut institutio ad animos discipulorum permanet, relinquaturque in illis aculeos. Sic iuuenis ad severiorem rerum contemplationem *ex improviso* abripitur, atque nescit, num *erubescere*, an *lugere* debeat? Optimum vero artificium, in curando eiusmodi iuvene, hoc est, si praeceptor eo humanitatis descendere didicit, ut sermones suos ad *inane huius discipuli gloriae studium* ita accommodet, ut illi, *adhibitis* quibusdam *blanctiis*, assensum quidem praebet, sed simul roget, ut cum his fortunae muneribus *veram gloriam* coniungat, *quo maior atque praestantior reddatur eius felicitas*. Eiusmodi familiaritas, cui iuuenis non est *adsuetus*, mihi crede, mira efficit, et laetitia, ex euentu non frustra sperato percipienda, *omnem compensat operam atque laborem*. Idem sane magistro continget quod SOCRATI. Huius discipulus *Alcibiades* villa sua mirifice gaudebat, aliis magis inopibus despectis. Quod cum sentiret ille, rogavit hunc, ut *Athenas* in parva Graeciae tabula ipsi monstraret. Satis diu quaerens, has tandem reperit. Tunc Socrates, monstra mihi, inquit, *praedium tuum*. Is subridens respondit: *cum vix innuerim Graecorum ocellum, hoc frustra inuestigarem*. Sapienter ille, *cur igitur cristas tollis opibus tuis, quae ne mentione quidem dignae videntur?* Sic arrogantia depressa, iuuenis tumidus rectius sapere didicit.

Hic laborum *Torgauensium* finis esto! MAGNIFICVS enim SENATVS *Zittauensium*, vera diuinae providentiae gubernatione impulsus, eo insignis atque honorificae in me beniuolentiae progressus est, ut *Directoris Gymnasi illustris* munus mihi committeret. Antequam vero *Lyceum*,

cui duodecim annos praefui, relinquam, opus est, vt *Deo et suauissimae ciuitati Torgauensi* gratissimum animum tester, omniumque beneficiorum, in me collatorum, memoriam perpetuam sancte pollicear. Pio igitur atque integro animo gratias obstrictissimas persoluum crastino die, *hora nona ante meridiem*, quatuor vero iuuenes, iique Ornatissimi, *diem Lycei natalem*, et *Schroederi* memoriam, *hora tertia post meridiem*, declamationibus celebrabunt, *tresque* illorum priores, quos, ob iustam probitatis affiduitatisque laudem, amorisque erga me integerrimi constantiam, intime semper dilexi, mecum eodem die Lyceo dicent vale! Itaque

I. ADAMVS GOTTLOB DALLVITIVS, *Torgauensis*, religiosissimas Deoaget gratias, quod Lyceum clementissimo huc vique tuitus est praesidio.

II. IOANNES GOTTLOB POETZSCHIVS, *Audenhainerfs-Misnicus*, disseret de praecipuis periculis, ex infelici amicorum iuuenilium dilectu emanantibus.

III. IOANNES AVGVSTVS SCHMIDIYS, *Dahla-Misnicus*, dicet de suauissima laborum in scholis iuuenilium varietate.

IV. IOANNES CAROLVS PEPPELIVS, *Annaeburgenfs-Saxo*, commendabit voluptatem, ex sapiente temporis scholastici vsu redundantem, et prosperrimum *Amicis* in Academiam gratulabitur abitum.

VIRI igitur ILLVSTRES ET GENEROSISSIMI, PRAESVI SACRO-
RVM MAXIME VENERANDVS, SENATVS AMPLISSIMVS, MINISTRI
SACRORVVM PLVRIMVM REVERENDI, LYCEI MAGISTRI CLARISSIMI,
omnesque FAVTORES ET AMICI HONORATISSIMI, perhumaniter in-
uitantur, vt et *mih*, et *hisc* *iuuenibus Amantissimis*, *horis indicatis*, au-
res praebere velint benignissimas. Tibi vero, *Torgauia Suauissima*,
Summum Numen potentissima tutela semper praesto sit! ego Tui amo-
ris nunquam ero immemor, persuasissimumque habeas, me studium
Tui non prius, quam *animam*, esse depositurum, Vale! P. P. Torgauiae,
a. d. VI. Nonar. Martiar. A. I. S. MDCCLXXXIII.

AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112




TA → SL
vor 75 Jhr /

R

VD 17





E SC

A D

DIE

M. CA

ILLVS
VC

EX



72

A

RMINANDA

DA

CAMPIVM

ONEM

ENSI

CET VALE

VITAT

S SINTENIS

SIVM DIRECTOR
TIS LATINAE

M clbIocccxxxiii.

